Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Medizinische Sammelhandschrift - Cod. U. H. 5

[Ingolstadt], [1476]

Lucius annaeus seneca, ad lucilium

urn:nbn:de:bsz:31-231602

Visual Library

L. Annei Senece Cordubensis 2a epistola ad Lucillium. De mutacione locorum et multiplicium voluminum lectione vitanda. Et quod honorabilis res est leta paupertas.

Ex his que mihi scribis: et ex his que audio, bonam spem de te concipio. Non discurris; nec locorum mutationibus inquietaris. Egri animi iactatio ista est. Primum argumentum composite mentis existimo posse consistere et secum morari. Illud autem vide: ne ista lectio multorum auctorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet: si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit; ut hospicia multa habeant: amicicias nullas. Idem accidit his qui nullius se ingenio familiarius applicant, sed omnia cursim et properanter transmittunt. Non prodest cibus, nec accedit corpori qui statim sumptus emittitur. Nihil eque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutacio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta temptantur. Non convalescit planta que sepe transfertur. Nil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas.

Sed modo inquis hunc librum evolvere volo: modo illum. Fastidientis stomachi est plura degustare. Que vero varia sunt et diversa inquinant non alunt. Probatos itaque lege semper: et si quando ad alios divertere libuerit, ad priores redi. Aliquid quotidie adversus paupertatem; aliquid adversus mortem auxilii compara, nec minus adversus ceteras pestes. Et cum multa percurreris unum excerpe quod in illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio. Ex pluribus que lego aliquid apprehendo. Hodiernum hoc est quod apud Epicurum nactus sum. Soleo enim et in aliena castra transire, non tanquam transfuga: sed tanquam explorator. Honesta inquit res est leta paupertas. Cuicumque in paupertate bene convenit dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. Quid enim refert quantum illi in archa: quantum in horreis iaceat, quantum pascat et feneret; si alieno imminet, si non acquisita sed acquirenda computat. Quis sit divitiarum modus queris? Primus habere quod necesse est. Proximus quod satis est. Vale.

Nota in epistola xlv in principio

Librorum istic inopiam esse queris; Non refert quam multos: sed quam bonos habeas. Qui quo destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur. Non ire istud sed errare est; etc.

BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch
Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST